
CONSTITVTIONES SYNODALES SANCTAE ECCLESIAE ASCVLANAE,

QVIBVS INSERITVR FORma iuramenti professionis fidei, Apostolica auctoritate confecta,

AC BREVISSIMA EX SACRO Concilio Tridentino catholica institutio: editę, & promulgatæ in Synodo diœcesana

HABITA ASCVLI Anno Domini. M.D.LXVIII. Die xxij. Aprilis.



ROMAE,

Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales. Anno Domini. M. D. LXVIII.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS

Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

PRAEFATIO.



VPIENTES Nos Petrus Camaianus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus, & Princeps Ausculanus (quẽadmodum Episcopis precepit Apostolus) cum Dei auxilio, ac sanctissimiq. eius in Terris Vicarij Pij V. Pont. Max. patrocinio, attendere Nobis, & huic vniuerso greci cuius in sollicitudinis partem sumus vocati; censuimus iuxta Canonicas sanctiones in hac nostra diœcesana Synodo, præter alia in ipsa a Nobis tractanda, & de iure exequẽda per has Synodales constitutiones, tàm Clero, quàm populo nostrę curę concreditis custodiam, simul, & disciplinam, quàm debemus sedulo adhibere pro exequutione, & fideli obseruantiæ omnium, & singulorum, quæ diuino suggerente spiritu sacrosancta Tridentina Synodus, tàm in dogmatibus, quàm in moribus decreuit, ac definiuit, ac ipsa sancta Apostolica sedes confirmauit.

ET Cum p cætera paſtoralis curę officia illud maximè ab Epiſcopis,& Parochis requiratur, vt fidelem populum in noſtrę orthodoxę fidei profeſsione, diuinæq. legis obſeruãtia erudiant, atq; a terrenis cogitationibus ad cęleſtium rerum ſtudium, & amorem reuocent, Proponimus ob id ante omnia vniuerſo noſtro Clero,præcipueq.animarum Curatoribus, non minus Catechiſmum, ex decreto eiuſdem ſacri Concilij, iuſſu ſanctiſs. D.N. editum, quàm ipſum met Concilium, ex quibus ſalutarem poterũt haurire doctrinã, tám in moribus,quàm in fide ad ſuas uerbo,& exemplo obeũdas functiones,oẽs dominicas vigilanter agnoſcendo, pro eis ſacrificium offerendo, ſacramentorumq. adminiſtratione eas paſcendo, ad bona opera cohortando, ad innitendumq. in ſpe cęleſtis gratiæ, vt inſpirante domino, cogitent quæ recta ſunt,& ipſo gubernante,eadem faciant, ac tandem poſt huius ſęculi caliginoſa diſcrimina ad lucem indeficientem (præſtante eodem Saluatore noſtro Chriſto Ieſu)peruenire mereantur. Et vt prædicta per Parochos, cæteroſq. ſacerdotes quorum intereſt,facilius pręſtari poſſint, & fidem catholicam, quam ſancta Romana Eccleſia omnium eccleſiarum Mater,& magiſtra colit & docet,integrè & fideliter vnà omnes oris cõfeſsione profiteamur, prout publicè,& expreſsè profiteri tenentur iuxta diſpoſitionem eiuſdẽ ſacri Concilii omnes Epiſcopi,Prælati, Canonici, aliiq. de quibuſcunque beneficiis curam haben-

tibus prouisi, eisdem præfigimus rectam regulã profitendi. Mandantes, vt cuncti, qui nunc beneficia ecclesiastica obtinent in præsenti Synodo; alij verò qui in posterũ obtinebunt in alia diœcesana Synodo, quæ tunc primo quoque tempore celebrabitur, profiteantur iuxta formulam hic de verbo ad verbum insertam, quę est eadem vnica, & certa per Bullam fœl. rec. Pii Papæ iiij. Pontificatus sui anno quinto, ad hoc statuta, & publicata, cuius quidem formulæ tenor est sequens.

FORMA IVRAMENTI
Professionis Fidei.



EGO. N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitũ. Et ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de spiritu sãcto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cũ gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioq. procedit. Qui cũ patre & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas Et vnam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorũ. Et expecto resurrectionem mortuorum, Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & ecclesiasticas traditiões, reliquasq; eiusdem Ecclesię obseruationes, & cõstitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacrã scripturam iuxta eum sensum, quẽ tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretationes sacrarum scripturarũ admitto, nec eũ vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie sacramenta nouæ legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismũ, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, sacrum Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse, receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacro-

sacrosancta Tridétina synodo definita,& declarata fuerũt,amplector,& recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium,& propitiatorium sacrificiũ pro viuis,& defunctis,atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè realiter,& substantialiter corpus,& sanguinem, vna cum anima,& diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq. cõuersionem totius substantiæ panis in corpus,& totius substãtiæ vini in sanguinẽ, quàm conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationẽ appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum,atque integrum Christum,verumq; sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse; animasq; ibi detentas fideliũ suffragijs iuuari:similiter& sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos,atq; inuocãdos esse,eosq; orationes Deo pro nobis offerre; atq; eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsũ christiano populo maximè salutarẽ esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem, & magistram agnosco,Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & œcu-

 menicis

menicis Concilijs, ac pręcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atq; profiteor: simulq; contraria omnia, atq; hęreses quascunq; ab ecclesia dãnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizatas profiteor. Hanc verã catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inmaculatam vsq; ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atq; à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem .N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei euangelia.

DE REGVLA PRAEDICATIONIS *verbi Dei, fideiq; Initiorum tradendorum.*


VM igitur Nos Petrus Episcopus prędictus vouerimus non minus corde, quàm ore prędictam fidem vsq; ad extremum vitę spiritum constantissimè profiteri, atq; idem nostros diœcesanos semper docere, saluberimum esse existimauimus, huiusmodi professionem his cõstitutionibus præinseri debere, non solum pro commodo ecclesiasticarum personarum, quæ vouendo ut supra eandem obligãtur publicè recitare de verbo ad verbum, sed etiam pro sedula eruditione Curatorum animarum,

marum, & faciliori instructione omnium, & singulorum cuiuscunq; status, conditionis,& dignitatis sint, qui quouis nomine publicè, aut priuatim, domi suæ, vel alienæ alios docere, alijsuè præesse, aut prodesse obligantur, vt habendo præ manibus talem professionis formulam hic præinsertam continentem clarè, distinctè, & eleganter totius orthodoxę religionis summã (extra quã nemo saluus esse potest.) valeant ea vti pro salute eorum, quorum curam gerunt, præsertim his nostris calamitosis temporibus, quibus tot hęreticorum laquei tenduntur ad capiendas, & perdendas fidelium animas. Quapropter vniuersos & singulos sacerdotes, Parochos, concionatores per Ciuitatem Asculanam, & diœcesim nostram constitutos, & constituendos enixè obtestamur in domino, eisq; districtè in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo iniungimus, vt vniuersam christianam doctrinam iuxta præinsertam professionis formulam catholicum Sanctę Romanæ Ecclesiæ sensum, receptamq; ab ea sanctorum Patrum orthodoxam explicationem vitatis noxijs nouitatibus, & suspectis opinionibus penitus ommissis, plebibus illis, & nobis pariter comissis fideli cura tradere non cessent.

II.

PRAETEREA Parochi singulis dominicis, & festis diebus ab ecclesia pręceptis oues suas pro earum captu, & intelligentia salutaribus verbis familiari quadam ad erudiendum facilitate de

de rudimentis fidei iuxta vberrimam in Catechiſmo deſcriptã explicationem, ac compẽdio quodam his Conſtitutionibus delineatam inſtitutionem inſtruant, auditoresq; ſuos ita afficere ſtudeant, vt peccata ſua dolenter deflere, Dei, & eccleſiæ pręcepta ſeruare, ac parẽtibus, prępoſitiſq; ſuis obedientiam pręſtare non negligant, & præcipuè ſint obſequentes in eccleſiaſticis traditionibus, quę ad mortificandam carnem conducũt vt ciborum delectus, ieiunia, aliaq; ſimilia pietatis exercitia. Et ſi ad id munus Parochi ipſi qui nunc reperiuntur apti eſſe non videantur, aſſumant ſibi idoneos coadiutores, prout neceſſariò per nos inter viſitandum faciẽdum erit, poſtquã ipſi qui animarum curam gerere debent, non nouerint ſe aliquantiſper exercere in percipienda ſacramentorum ui adminiſtrationeq;, & ſingulorum propria materia, & forma intelligenda. In cognoſcendis conſcientię caſibus, & in latina lingua ſaltem ad literam perdiſcenda. Cum omnino ferendum non ſit, curatorum beneficiorum Rectores prædicta ignorare, nec valeant breuibus verbis de aliquibus facilioribus ad ſalutem neceſſariis, pręſertim in Villis, & Pagis monere ſimpliciores homines diebus dominicis, quando ſequentiores conueniunt ad ſacra audienda, quibus aliquid vulgari lingua explicãdum eſt de decẽ pceptis, & de fructu ſacramẽtorũ, de cognitione peccatorũ, necnon virtutũ vitiis contrariarum, deinde clara voce recitare dẽbeant de ver-

bo

bo ad verbum latinè integrum Apoſtolicũ Symbolum, Orationem dominicam, Angelicamq; ſalutationem, vt pueri, vel etate etiam prouectiores tàm mares, quàm fœminæ, qui ad huc hæc chriſtianæ religionis elementa ignorant, audiendi conſuetudine eis delectentur, ac aliqua mandare memoriç poſſint, quibus (adiuuante domino) dirigantur in viam ſalutis æternæ.

I I I.

NON ſufficeret proponere noſtris Clero, & Populo ſanam orthodoxç fidei regulam, niſi eodem tempore ſtuderemus eos cauere à noxijs prohibitorum librorum lectionibus, & diuulgationibus. Quare pręſenti Conſtitutione ſeriò iubemus tam Clericis, quàm laycis cuiuſcunq; cõditionis, & dignitatis ſint pro tempore in Ciuitate, & diœceſi Aſculana commorantibus, vt inuiolate ſeruent regulas indicis de libris vetitis, ex decreto Concilij confectas, & apoſtolica authoritate editas, proteſtando nos cuilibet prędictorum Clericorum, aut laycorum, quòd ſi reperti fuerint cuiuſcũq; generis libros prohibitos legiſſe, aut retinuiſſe, declarabuntur incurriſſe pœnas à iure ſtatutas, & nihilominus etiam arbitratu noſtro grauius punientur.

I I I I.

INSVPER pręcipimus ſub eiſdem pœnis, & excommunicationis latæ ſententiæ, quibuſuis ludi magiſtris, tàm laycis, quàm Clericis Ciuitatis, & diœceſis noſtræ vt cum literas gràmatices,

&

& quarumcunq; artium liberalium docebunt nõ solũ libros prędicto Indice vetitos, pueris, aliisq; prouectioribus suis auditoribus non interpretentur, aut ab illis legi patiātur, sed neq; etiam alios libros, quibus obscena, vel turpia contineantur, cũ multo magis deceat bonis moribus, & catholica institutione erudire suos discipulos, quàm cum periculo improbitatis, & noxiarum opinionum eos quouis alio elegantissimo literarum, & scientiarum genere imbuere. Et ne de huiusmodi Constitutione possint ignorantiam prętendere, decernimus per Parochos, quorum curę ipsi ludi magistri subsint sub pena suspensionis à sacrorum ordinum exequutione monendos fore.

DE SACRAMENTIS *in genere*.



OMNIS vera iustitia, regulariter per sanctissima ecclesiæ sacramenta à domino nostro Iesu Christo instituta, vel incipit, vel cepta augetur, vel ammissa reparatur, & Ideò doceant Parochi, quòd per ipsa velut per apta remedia peccatis nostris mederi, & suæ gratię munera nobis impartiri Deus voluerit. Vnde deligentissime cauendum sit à sacerdotibus in eorum administratione, nè hęc diuinæ gratię instrumenta ita tractent, vt in quo aliorum saluti prodesse student, in eo sibi exitium comparent, cum non possint sine grauissimo peccato sacramenta aut confici,

fici, aut miniſtrari ab his, qui ſibi mortalis peccati conſcij ſint. Quare religioſa vita Parochis inſtituenda eſt, vt omni temporis momento parati eſſe poſſint ad ea miniſtranda, animaduertātq; ad cuiuſq; horum materiam, & formam ſecundū regulam Sanctę Romanę Eccleſię, meminerintq; [illegible] orationes, ſacros ritus, & ceremonias quas ſignificationis, ac pietatis excitādę gratia ex traditione apoſtolica acceperimus, [illegible] nō poſſe[illegible] ſine graui piaculo à quocunq; priuato Parocho omitti, aut immutari, ſed & cum ſint dona ſpiritualia, non ſolum ſine ſimoniaca labe, verum etiā ſine auaritię ſuſpicione pręhenda ſunt, nec debet in ſacramentorum adminiſtratione quicquā exigi, aut directè vel indirectè peti. Qui ſecus fecerit eum pœnis communi iure ſtatutis, & alijs arbitratu noſtro plecti volumus.

DE BAPTISMO.



ATVRA ex Adam filij iræ naſcimur, per Baptiſmum vero in Chriſto filii miſericordiæ renaſcimur, & ideo niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt introire regnum Dei. Docendus ergo erit populus hoc ſacramentum confici ablutione, cui ex Domini inſtituto certa verba neceſſariò adhibentur (accedit.n. verbū ad elementum, & fit ſacramentum) materia ſiue elemeutum baptiſmi omne naturalis aquæ

genus

genus est Forma vero. Ego te babtizo in nomine Patris, & Filii,& Spiritus sancti.Et ne forte fideles in eum errorem inducantur, vt existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam,quæ in sacro fonte asseruatur, sacramentũ esse,monendi sunt, quod tunc sacramentum Baptisma dicẽdum est, cum aqua ad abluẽdum aliquem additis verbis, quæ a Domino instituta sunt, re ipsa vtimur. Cętera autem de doctrina, & ui huius sacramenti haurienda sunt a Parochis ex Catechismo.


II.

FOns Baptismalis habeatur in omnibus parochialibus Ecclesiis, & in eo diligenter clauso, & mundo aqua benedicta continue seruetur, sanctis precibus,& cęremoniis iuxta sanctę Romanæ Ecclesiæ ritum cõsecrata,nec desint sacrum Crisma,oleumq́, cathecuminorũ vasculis argenteis, quæ asseruentur pro solemni ipsius baptismi vsu. Et si permissa est quando instet periculum facultas baptizandi in priuatis ædibus Sacerdoti, vel (si is absit) alteri sacris initiato, si absuerit laycis primo mari,aut demum fœminæ, qui rectè nouerint veram baptismi formam.s. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quibus verbis nihil prorsus ab ipsis addendum,vel detrahendum esse crebro populum suum Parochus admoneat. Cum aliquis ad Ecclesiam baptizandus defertur, inquirant Parochi, num forte in priuatis ędibus propter instans mortis periculum prius baptizatus fuerit, seruata integra sacramenti

ſubſtantia, quod ſi factum eſſe intellexerint, caueant, ne eum baptizent, addita etiam illa conditione. Si non es baptizatus &c. ſed tantum ei preces ſacras, vnctiones, ritus, & cerimonias, quę pretermiſſæ ſunt, adhibeant. Et ad euitandā incō uenientia præcipimus ſub excommunicationis pœna tam parentibus, quám alijs, qui id curare debent, ac Parochis, vt præſentem Conſtitutionem publicent, quòd natum infantem ab baptiſmum ſuſcipiendum intra tertium diem ad eccleſiam omnino deferri iubeant, niſi magna aliqua incidat neceſſitas, in quo caſu fiat quod dictum eſt. Et ne in re tanti momenti erretur, iniungimus Parochis ſub graui pœna noſtri arbitrij, vt fidelem populum ſimilia ſæpius doceant, ac caueant, ne nomina, quæ infantibus imponuntur, ſumant ea ex memoria ethnicorum, ſed adhibeant maximam cautionem ſumendi nomina chriſtianorum, & præſertim ſanctorum, & ſanctarum qui in eccleſiæ calendario nominantur. In ſingulis eccleſiis, quæ habeant fontem baptiſmi, nō deſit liber, in quo dies baptiſmi, nomina baptizatorum, parentum, & compatrum diligenter deſcribantur ſecundum decreta ſacri Concilii; nec admittatur niſi vnus tantum, vel vna, aut vnus ſimul, & vna ad leuandum baptizatum; ij vero neq; ſint excommunicati, neq; publice crimināſi, aut qui eodem anno (ſaltem ſemel in tempore ab eccleſia ſtatuto) peccata ſua confiteri, & ſacram euchariſtiam ſumere non omiſerint.

DE

DE CONFIRMATIONIS Sacramento.



SACRAMENTVM Confirmationis ex instituto Christi, & Apostolorum praxi ecclesię relictum est: in quo iuxta Domini promissionem spiritum sanctum, quo in baptismo ad peccati emundationẽ signati sumus, cum nouo gratiæ suæ munere accipimus, vt contra satanæ tentationes muniamur, vt gratia eius ad melius capienda fidei mysteria illuminemur, & ad confessionem Christi fiduciam, & contra vitia robur accipiamus. Igitur à Pastoribus explicandum est eius materiam Chrisma appellari, quod ex Oleo, & Balsamo solemni Episcopi consecratione cõficitur, ea significatione, quam Parochi ex lectione catechismi percipient, vna cũ tota spirituali doctrina ipsius sacramenti, & eius formæ, quæ consistit in verbis quibus vtitur Episcopus dum sacram adhibet vnctionem.

II.

IPSI ideo Parochi in suis ecclesiis ante tempus denuntient, quo sacrum Chrisma ministrãdum erit, eiusq; sacramenti aliquid vis, & virtutis edoceant eos, qui confirmandi erunt. Idemq; faciet ipsemet Episcopus, qui est ordinarius minister eiusdem confirmationis sacramenti. Quòd nemini præbeatur minori septennio, & qui adulta sint etate priusquam sacro Chrismate consignentur,

tur, vt sua peccata confiteantur, admonēdi sunt. Et postmodum tam confirmati omnes, quàm cōpatres in libro describantur à Parochis, quemadmodum supra de baptizatis dictum est.

DE SACRAMENTO *Eucharistiæ &c.*



IN almo sanctæ Eucharistię sacramento post panis, & vini consecrationem, continetur verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguis vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; ac proinde totus Christus verus Deus, atq; homo. Et quāuis cōmune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem, verum illud in ea excellens, & singulare reperitur; quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante vsum est. quē admodum de hoc, & de aliis pluribus diuinis arcanis, fructu, & virtutibus huius cœlestis sacramēti poterunt in lectione Chatechismi erudiri Parochi, cæteriq; sacerdotes.

I

IN quibuscunq; Ecclesiis quocunq; nomine nuncupentur, quibus immineat animarū cura, tàm in vrbe, & oppidis, quàm villis, & pagis, vbi populus sit numerosus vltra triginta familias sanctā

venerabilemq; asseruabunt Eucharistiã in argenteo conditam vase,& repositã apud maius altare, in quàm ornatissimo fieri poterit loco clauso, & munito ad infirmorũ vsum. Ante illam vero lampas semper accensa luceat, & cũ ad ęgrotos erit deferenda, fideles cuncti ad religionis cultũ sanctissimo Sacramento tribuendum excitentur certis campanæ percussionibus, ac euocentur sodalitates, si in aliquibus ecclesijs sunt ad hoc institutæ, vt venerabile Sacramentum, quod sacerdos superpelliceo indutus, stola collo imposita, & pluuiali honorifice deferat, cum facibus, & vmbella vbi aderit piè, & sanctè deducant, ac reducãt, nam, semper præsertim in ciuitate, castris, locisq; insignioribus duæ deferendæ sunt particulæ sacratę, quarum alteram ipse sacerdos ministrabit ęgroto, alteram vero ad ecclesiam referet ad maiorẽ ipsius populi promouendam deuotionem.

III.

PRæterea vt piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam statutum est, singulis annis, peculiari quodam festo die præexcelsum hoc Sacramentum processionibus singulari solemnitate per vias, & loca publica reuerenter, & honorificè circumgestetur, in Asculana ciuitate, & diœcesi nostra sanctissimè celebretur; monemus tàm Clerum, quàm populum, vt se gratos, & memores testétur pro tàm ineffabili, & diuino beneficio, quo in similibus processionibus mortis Domini memoria, & triumphus repręsentatur festo illo die, quem

quem ecclesia celebrat corporis Domini maiori quapossumus, pietate & religione adorare, tàm intimo corde,quàm exteriori cultu studendũ est, quocunque tẽpore,& præcipuè in similibus processionibus,quæ ordine congruo,& sine strepitu & clamoribus, sed hymnis, & canticis piè sunt perficiendæ.

IIII

EXpediret fidelibus,vt non solum Paschæ tempore quo obligati sunt, vitale hoc Sacramentum, quod ad cœlestia nobis dona impartienda a Christo institutum est, perciperent, sed etiã frequenter, & præsertim in maioribus festorum dierum celebritatibus,se hoc admirabili cibo pascerent,qui omnem spiritualis delectationis fructum,& uitalem alendæ animę vim continet, verumtamen saltem singulis annis omnino instãte quadragesimali ieiunio,quicunque animarũ curatores inter missarum solemnia plebibus sibi cõmissis seriò,& sæpius denuntient, vt ij omnes in legitima ætate constituti peccata sua ante hebdomadã sanctã confiteantur,& in Pasche celebritatibus sint parati ad sumendã sacrã Eucharistiã, quemadmodũ sancta Mater Ecclesia statuit,q; Parochi vtriusq; sexus fideles instruendo de ui,& dignitate huius altissimi Sacramenti monebunt,vt maxima animi religione, & humili ẽt totius corporis habitu ad tanti Regis mẽsam accedere nitãtur. Qui verò propriæ salutis immemores prædicto sanctæ Ecclesiæ præcepto non paruerint,post-

quam semel, aut bis infra octauā Paschæ fuerint denuo moniti,& non resipuerint; debeant quicunque animarum curatores, eorum ad nos, vel ad nostrum generalē Vicarium nomina in scriptis fideliter,ac diligēter deferre,vt de illis possit iuxtà formam sacrorum Canonū decerni, quod diuinæ gloriæ, ecclesiasticæ tranquillitati, & improbrum temeritati coërcēdæ magis expedire videbitur, in interitū carnis, vt spiritus saluus fiat, & prædicti animarum curatores, qui in hoc fuerint negligentes,vel conniuentes nō denunciando vtsupra, grauissimis pœnis nostro arbitrio plectentur.

DE MISSÆ SACRIFICIO.



EXPLICATA ratione administrationis sacræ Eucharistiæ, qualiter est sacramentum, explicandū restat de his, quæ ad celebrationem eius pertinent, quatenus est verum,& singulare sacrificium in cœna nouissima, quā nocte Dominus tradebatur, dilectæ sponsæ suæ ecclesiæ relictum, quo illius salutaris Crucis sacrificij cruenti virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur: & quoniam in diuino sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus incruentus immolatur,qui in ara Crucis se se semel cruentum obtulit. Parochi populum suum meminisse curabunt, sacrificium istud

verè esse propitiatorium, non solum si pro viuorum fidelium peccatis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenū purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offeratur.

II.

CVM sancta sanctè administrari cōueniat, sitq; hoc omnium sanctissimum sacrificium, omni nostro studio elaborandum esse decreuimus, vt quæ ad hanc rationem celebrationis Missarum pertinent, rectè in nostra Ciuitate, & diœcesi constituātur pro exequutione decretorum sacri Cōcilij Tridentini. Et in primis quicunq; tam diuino sunt insigniti caractere sacerdotii, monendi, & per viscera misericordiæ Dei nostri obsecrandi sunt, vt antequam missam celebraturi ad altare accedant, omnes conscientiæ suæ latebras excutiant, & peccata mortalia confiteantur, considerando quę sit sacrificii huius altitudo, deinde sacris vestibus induti, cum omnibus instrumentis, sacro calice, vnà cum corporalibus, & purificatorijs mundis, & puris, comitati à ministro prę eunte superpelliceo induto, & missalem deferente, non incipiant missam celebrare, nisi prius candelis accensis, vini, & aquæ vasculis, & cæteris in suis locis bene dispositis: cauendo, ne in altari biretum, aut aliquid omnino ponant, præter ea, quæ ad sacrificii ministerium necessaria sunt. Ea quæ in missa leguntur, ita pronuntianda sunt, vt à circumstantibus audiantur, non adhibendo ta

men in legendo nimiam, aut celeritatem, aut tarditatem. Inhibemus eisdem, ne passim memoriter sacrum Canonem recitent, sed attente vbi opus est, legant, & in consecrationis verbis nequid minimum errent. In cæteris vero genuflexionibus, capitis inclinationibus, ad populum conuersionibus, cruce consignationibus, sacræ hostiæ fractione, manuum extensionibus, vel con iunctionibus, alijsq; ritibus, & cerimonijs sequãtur normam, & regulas in rubricę ordinis missæ in principio libri missalis positam, & in libro, qui dicitur sacerdotalis, cũ sacerdotibus non liceat in missarum celebratione, quod est publicum ecclesiæ ministerium, ne latum quidem vnguem à præscripto, & formula sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ discedere, & illi presbyteri, qui prauo quo dam habitu, vel crassa ignorantia, aut quocunq; prætextu inposterũ huic synodali non paruerint Constitutioni, seuerè punientur nostro, vel generalis nostri vicarij arbitratu.

III.

CVM satis non sit presbyteros celebrantes p̃dicta seruare, si fideles, dum missæ celebrantur, colloquutionibus, & quibuscunq; profanis, vel indecoris actibus, non abstinerent, & aperto capite, & vtrisq; genibus flexis eo saltem tempore, cum cõfessio dicitur, & augustissima mysteria peraguntur, mentem, & oculos in sacerdotis ministerio non defigerent, & ad finem vsq;, donec benedictionem sacerdotalem acciperent, deuotè

non

non assisterent; cum quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostrę salutis exerceatur, & ob id sæpius docēdus est populus de huiusmodi mysterijs, vt missam audiens vota sua sacrificanti sacerdoti coniungat.

IIII.

CONSTITVTIS his, quę pertinent tam ad celebrantes, quàm ad missam audientes, pro curandum est quoq;, vt ecclesia, quæ est domus Dei, in qua altissimum hoc sacrificium offertur, sacramenta suscipiuntur, diuinæ laudes, & orationes ad Deum funduntur, ipsiusq; verbum prędicatur, ne quid in ea incultum, aut sordidum inue n[illegible]ia in parietibus, tectis, ac pauimētis ipsius domus Dei quacūnq; indiguerint reparatione, & instauratione, quòd omnino reparentur, instaurentur, renouentur, quamprimum fieri poterit sumptibus Rectorum, aut eorum, ad quos spectat, vt omnia nitore quodam, & religioso cultu splendeant, & munda sint, tam tota fabrica templi, & altaria, quàm lintea, & pallia, sacræ imagines, Cruces, candelabra, sacra vasa, ac cætera quæcunq;, quibus diuinus cultus peragitur, & sacra eucharistia offertur, & fidelibus non cōficientibus ministratur, quibus eo tēpore vinū ipsis, postq̄ sacram hostiā sumpserint, calicē cū vino pberi iubemus, semperq; linteū explicatū ante eosdem extendi, nè aliquid decidat, quod quidē

ob tanti sacramenti maiestatem non longe absit à sacrilegij crimine. Igitur in prædictis omnibus & singulis spectantibus ad decorem domus Dei, & ad maiestatem, & nitorem in oblatione sacrificij, administratione sacramentorum, alijsq; totius diuini cultus partibus, moniti sint hac nostra constitutione Parochi, alijq; ecclesiarum Rectores, & quicunq; sacerdotes, & præsertim sacristæ, vt prædicta inuiolabiliter obseruent, si pręter diuinā indignationē, tēporales quoq; voluerint effugere pœnas nostro arbitrio infligēdas.

V.

NON permittant præfati vlli sacerdoti alienæ diœcesis missam celebrare, nisi ostēderint literas testimoniales sui Ordinarij à nobis, vel nostro generali Vicario approbatas, & signatas. Caueat præterea nè intra limites suarum parochiarum, & ecclesiarum quicunq; sacerdos audeat celebrare in priuatis ædibus, aut omnino extra ecclesiam, vel oratoria diuino tantum cultui dicata, & nostra episcopali auctoritate approbata, & si secus à quopiam temere factum fuerit, nobis denuntient Parochi, ne alienas cogantur subire pœnas.

DE POENITENTIAE Sacramento.

POENITENTIAE Sacramentum velut secundam post naufragium tabulā, cuius pręsidio gratiam recōciliationis, & remissionis peccacatorū, in quę post baptismū relapsi

relapſi ſum⁹,recipimus,Curatores animarũ ciuita tis, & diœceſis nr̃æ ſedulo in eccleſiis vrgeant,admoneantq; fideles his partibus,ipſius pœnitentis actibus, nempè contritione,confeſsione, & ſatiſfactione,quaſi materiã, huius ſacramenti,integrã, & vtilem abſolui. Idemq; pœnitentiæ ſacramentum lapſis poſt baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium,vt nondum regeneratis ipse baptiſmus. Nam illis, qui ſe in peccati ſeruitutem, & dæmonis poteſtatem poſt ſuſceptam in baptiſmo iuſtitiam tradiderint,cõtulit Deus hoc remediũ, quo mortis Chriſti beneficium eis applicetur, ſi (ipſo Deo excitante) amiſſam gratiam recuperare procurauerint per animi dolorem, ac deteſtationem de peccato cõmiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, per ſacramentalem confeſſionem,cum enumeratione omnium,& ſingulorum peccatorum mortalium, quorum poſt diligentem ſui diſcuſsionem meminerint, etiam occultorum, ac circunſtantiarum, quæ peccati ſpeciem mutant, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam:per ſacerdotalem denique abſolutionem rurſus iuſtificari poterunt, nec non cum ſatisfactione per ieiunia,eleemoſynas,orationes,& alia pia ſpiritualis vitę exercitia,non quidem pro pœna æterna,quæ ſacramento vnà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ non tota dimittitur illis,qui gratiæ Dei ingrati poſt baptiſmum Spiritum ſanctũ contriſtauerũt.Nam Chriſtus Dominus duplicẽ ſacerdotibus poteſtatem

reliquit, vt soluant, aut ligent. Studere igitur debent, vt summa cura ex enumeratione peccatorũ discernant inter leprã, & leprã, ac nouerint sacramenti pœnitentiæ formã (in qua præcipuè ipsius vis sita est) in illis ministri verbis positã esse; Ego te absoluo &c. quibus quidem de ecclesię sanctę more quædam laudabilia adiunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam minime necessaria.

II.

DEBENT ergo sacerdotes domini, quantũ spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentum facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius cũ pœnitentibus agant, leuissima quędam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt non sit tantum ad nouæ vitę custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nec obliuiscantur ex pręscripto canonum pœnitentialiũ pœnitentias moderari, ad delictorum tamen qualitatem satisfactionis modum temperando, auaris eleemosynas, incontinentibus ieiunia, superbis humiliationes iniungendo, quò semper confitentium vitia contrariis virtutibus compensentur.

III.

SALVBERRIMVM Sanctę Matris Ecclesię præceptum, vt quot quot christiani nominis

sunt

sunt homines, saltem semel in anno iuxta formā Canonis, Omnis vtriusq; sexus, Innocentij iij. diligentissimè in Ciuitate, & diœcesi nostra obseruandum est, ac ab ecclesia protinus reijcientur, qui id facere recusarint. Quapropter à proprijs Pastoribus, cęterisq; Concionatoribus sunt fideles monendi, vt qui sæpius peccant, sæpe etiam peccata commissa lugere, eaq; sacramentaliter confiteri, dignaq; satisfactione mortificare assuescant, & omnino ad minus sicut de sumenda sacra eucharistia dictum est, saltem semel in anno confiteri non amittant, & si secus à quoquam vtriusq; sexus factum fuerit, eorum animarum cūratores nobis, aut nostro vicario vt supra sub pręditis pœnis denunciare non pretermittant &c.

IIII.

SED ne Confessorum inscitia, aut imprudentia medicamentum hoc sanandis animarum vulneribus aptum, non solum nō prosit, verum etiā magis alat, Cauendum est, vt illi soli sacerdotes tam seculares, quàm regulares iuxta decreta sacri Concilij, & Apostolicas Constitutiones Sanctiss. D. N. Pij. V. pro audiendis confessionibus, tam à nobis, quam ab ipsorum regularium prælātis approbentur, & præficiantur, qui pij prudentes, patientes, de animarum salute soliciti explorati fuerint, ac omnino fidelissimi, custodes silētii eorum, quæ in confessionibus audierint, quales præcipuè omnes decet esse Parochos, quos nihilominus si inter visitandum ad hoc inhabiles

reperiemus, animarum illis commissarum indem nitati consulemus studio, & opera idoneorũ Coadiutorum: interim tamen eisdẽ pręcipiendo sub grauioribus nostri arbitrij pœnis, vt à peritioribus continuo studeant aliquid audire interpretationis, & explicationis conscientiæ casuum, ac p se ipsos etiam legendo aliquas summas, veluti Antoninam, Angelicam, Siluestrinam, Gaietanã vel Armillam, & libellum quoq; qui dicitur manipulus curatorum, aut alia similia probata opuscula pro instructione imperitorum sacerdotum.

V.

QVICVNQVE audiendis confessionibus præfecti habeant apud se scriptos omnes casus Sanctiss. D. N. Pont. Max. & Episcopo quauis ratione reseruatos, & præcipue Apostolicam Bullam, quę legitur in die cœnæ Domini, cuius exẽplum typis impressum sæpe sæpius attente legãt, ne in his casibus, & censuris sibi aliquid assumãt facultatis, nisi quantum eis fuerit respectiuè ab Apostolica sede, vel à nobis cõcessum: quamquã nos hoc tempore expedire arbitremur, ne facilitas venię tam frequens prębeat delinquendi incẽdium, grauiorum criminum huiusmodi reos nobis sistendos reseruari, verumtamen ne homines à confessione retrahantur, vtq; diœcesanorum nostrorũ pudori simul, & sumptibus misericorditer consulatur, aliquot probis, & idoneis confessoribus tam in Ciuitate, quàm in diœcesi à nobis deputãdis potestatem tribuemus absoluendi

vtriusque

vtriuſque ſexus laycos quoſcunq; contritos, & confeſſos in ipſis tantum Epiſcopo reſeruatis caſibus, quã tamen facultatem cum delectu concedemus, vera prius habita notitia ſufficientiæ, & probitatis prædictorum Confeſſorum.

VI.

SACERDOTES quicunq;, qui non ſint curatorum beneficiorum rectores, vel à nobis approbati pro audiendis confeſſionibus, non ſolũ non poſſunt, neq; debent ſibi aliquid aſſumere in caſibus reſeruatis, ſed neque quouis quæſito colore niſi in caſu extremæ neceſsitatis pręſumere audire confeſsiones quarumuis perſonarum, nec etiã ſacerdotum:& qui ſecus fecerint, a ſuorum ordinum exequutione ſuſpẽdentur noſtro arbitratu.

VII.

MVlierum confeſsiones niſi ex cauſa neceſſaria ante Solis ortum, nec poſt eius occaſum, ſed de die & publicè in eccleſia in ſedibus in quibus tabella omnino inter confitentẽ, & cõfeſſorẽ interiecta ſit audiri debeãt, imò nec ſine tali neceſſitate in priuatis ędibus nõ ſolũ cuiuſquã fœminę, verum nec maris confeſsiones audiantur:& tàm mares, quàm fœminæ ſunt ſæpius cohortandi, vt ad ſacramentum Pœnitentię cum debita præparatione accedant, ac in ſpiritu humilitatis, & amaritudine animę ſuę, non expectata confeſſoris interrogatione, ipſimet peccata ſua confiteri non vereantur; cuius tamen confeſſoris diligentia, & commiſeratione adiuuãdi & cõſolandi erunt

pro

pro morbi qualitate cum eodem collyrio, omniũ mederi morbis nequeat, & ideo prudentiſsimus debet eſſe medicus in obiurgando pręfractos, tremendum Dei iudicium ante eorum oculos ponendo, & per Dei miſericordiam puſillanimes erigendo.

VIII.

Conſtitutionem Innocentii iij. de medicis inuiolate in noſtra ciuitate, & diœceſi ſeruandã eſſe iubemus, præſertim cũ per Apoſtolicas literas Sanctiſs. D. N. D. Pij V. ſub datũ Romæ apud Sanctum Petrum die viij. Martij. M. D. LXVI. hoc idem ſerius ſtatutum, & renouatum fuerit ſub grauioribus pœnis, ad quarum declarationẽ vel exequutionem contra quoſcunque inobedientes procedemus. Monentes ideo omnes & ſingulos artem medicam exercentes, cum ad ęgrotum aliquem in lecto decunbẽtem vbilibet in ciuitate, & diœceſi noſtra vocentur, ſtatim eis denuntient illorum curationem deſerturos eſſe, niſi peccata ſua fuerint confeſsi, quod ſi aliquis facere neglexerit, medicus ad eũ amplius non redeat, & Parochus ſub pœna ſuſpenſionis a diuinis, cuius curæ ſubſit ęger, certiorem reddat noſtrum generalem Vicarium, prędictum huiuſmodi conſtitutioni non paruiſſe.

DE

DE EXTREMA VNCTIONE.



CVRATORVM beneficiorum Rectores doceant extremæ Vnctionis sacramentum ad infirmorum, qui ad exitum vitę vergunt, præsidium a Domino traditũ esse, & quòd dum sacra Vnctio per orationem fidei infirmis adhibetur, per diuinæ gratię operationem cõtra corporis infirmitates, & errores conscientiæ, præbet ritè sumentibus alleuiationem, & hylaritatem leuiora peccata tollit, & grauiorum reliquias expurgat, cuius quidem sacramenti materia oleum est ab Episcopo benedictũ, & Vnctio aptissima, Spiritus sancti gratiã, qua inuisibiliter anima ęgrotantis inungitur repręsentat. Forma sunt illa verba. Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam &c. quibus vtitur sacerdos, qui est proprius minister huius salutaris sacramenti.

II.

PRAE More igitur sanctę Matris Ecclesiæ sacramentum hoc fidelibus impartiendum est cum Litanijs, & orationibus ad hoc institutis. Meminerintq; Parochi tunc maximè vngendos sancto oleo fideles esse, cum in eis adhuc mentis, & rationis vsus viget, vt animi religionem afferre posit, nec differãt in illam horam, cũ iam ęger amissis sensibus agere animam incipit, nam prius a sacerdote consolandus est, atque a curis

& desideriis huius vitę ad spem ęternę salutis eri gendus,& persuadendus, vt diaboli terrores non formidet, in Christi misericordiam sperans, eiq; cum benedictione animam suam commendans. Quo munere sacerdos fungens super pelliceo sit indutus, stola collo adhibita, ac sanctum oleum infirmorum argenteo vasculo habeat repositum, cæteraq; non omittat, quæ sacerdotali libro continentur, iuxtà sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

DOCENDI Sunt fideles in nouo Testamento nouum, visibile,& externum esse sacerdotium a Saluatore nostro institutũ, in quod vetus trãslatum est, atque Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus potestatem esse traditam cõsecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem eius, nec non peccata remittendi, & retinẽdi. Et cum diuina res sit, tàm sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, vt dignius exerceri posset, plures,& diuersos esse Ministrorũ ordines, scilicet Ostiarium, Lectorem, Exorcistã, Acolitum, Subdiaconum, Diaconum,& Presbyterum. qui sacerdotio ex officio deseruirẽt,& per minores ad maiores velut per gradus ascenderent. Et cum sacra ordinatio verbis,& signis exterioribus perficiatur, materia scilicet & forma, propriè esse sacramentum, per quod gratia conferatur,

tur, nemo dubitare debet. Sed quoniam eius administrationis munus proprie ad Episcopum pertinet, nihil est, quod de eo Parochis aliud præcipiamus, nisi vt sæpe illos, qui promoueri cupiũt, cohortentur ad pietatem, & eruditionem, ac nouerint uisibili signo ad communem totius ecclesię vtilitatem ritè ordinatis gratiam diuinitus cõferri. Quamobrem nobis studendum erit, vt in posterum in Ciuitate, & diœcesi nostra ipsi sanctæ ecclesiæ idoneos tantum sacerdotes, aliosq; ministros promoueamus.

II.

Qvicunque igitur non solum ad sacros ordines, sed etiam prima tonsura, & quatuor minoribus initiari concupierint, sciant se iuxta canonicas Tridentini Synodi sanctiones à nobis non posse voti compotes fieri, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, & saltem latinam linguam nouerint, vt postmodum possint statutis temporum interstitijs in ętate legitima constituti, ac p̄bitate, pietate, castisq; moribus conspicui ad maiores ordines assumi, & demum diligenti præcedente examine ad presbyteratum promoti, sacramenta administrare, populumq; docere valeant ea, que scire omnibus necessarium est ad salutem. Quamquam deinceps Clerici seculares, & si aliàs sint idonei moribus, & etate, non poterunt tamen promoueri ad sacros ordines, nisi qui beneficium ecclesiasticum, quod illis ad victum honestè sufficiat, possederint, aut quando

pro necessitate, vel commoditate beneficiorum Ciuitatis, & diœcesis nostræ aliquos patrimoniū obtinentes absq; alio titulo ordinare, nos ipsi rationi congruum esse existimauerimus, ascribentes tamen eosdem obsequijs quarumlibet ecclesiarum pro diuini cultus augmento ad nostrum arbitratum.

DE MATRIMONII Sacramento.



T matrimonio suus honos conseruetur, debent Parochi docere eos qui matrimonialiter iungi affectāt, qua religione, & fide nubāt in Christo, qui venerabilium sacramentorum institutor sua nobis passione promeruit, ꝙ matrimonium in lege euangelica veteribus connubijs per ipsum dominum nostrum gratiam præstet, ac ideo inter nouæ legis sacramenta meritò annumeretur, naturalem illum amorem perficiēdo, indissolubilem vnitatem confirmando, coniugesq; sanctificando.

II.

QVa propter præsenti Synodali constitutione moniti sint quicunq; animarum curatores in Ciuitate, & diœcesi nostra sub grauioribus pœnis nostri arbitratus inuiolate seruare omnia, & singula quæ de matrimonio contrahendo sancta Tridentina Synodus statuit; sępe sæpius legendo

ac

ac facili methodo declarando, quando frequens populus in ecclesia fuerit congregatus, cuncta ad huiusmodi reformationem matrimoniorum spectantia: & præsertim bis in mense reddant memores maxime mulieres, & iuuenculas ne permittant se decipi, si aliter quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Episcopi licentia, & duobus, vel tribus testibus contrahere attẽtarent: quia (prȩterquam q̃ totum id esset irritum, & nullum) grauiter etiam nostro arbitrio punirentur.

III.

MOneant pariter tàm viros, quàm mulieres ne vllo quæsito colore præsumant malitiosè contrahere, maximè in prohibitis consanguinitatis, & affinitatis gradibus, prout vsq; modo plures temerè, ac impudenter nixi sunt, pecccatis peccata accumulando, & manifestè falsa pro veris narrando in impetratione dispensationum à sacra Pœnitentiaria, quibus fraudibus nos obuiare studuimus publicatiõe cuiusdam nostri ad id specialis edicti, quod etiam præsenti Constitutione confirmamus.

IIII.

MAndamus denuntiationes suo tempore triplicatis vicibus in ecclesijs frequenti populo non intermitti, imò quàm diligentissimè exequi debere. Interdictionem contrahendarum nuptiarum ab Aduẽtu Domini in diẽ Epiphaniȩ, & à quarta feria cinerũ vsq; ad octauam Pascha-

tis inclusiue indifferenter ab omnibus obseruari. In alijs vero temporibus solenniter celebrentur ea tamen, qua decet, christiana modestia, & honestate: cum matrimonium, quod sancta res est, sanctè tractandum sit, nec alibi quàm in ecclesia, quæ est proprius sacramentorum locus, oblatos coniuges sacerdos solenniter benedicat, horteturq; fideles, vt triduo ante matrimonij consumationem peccata sua cõfiteri, & sacram eucharistiam sumere delectentur.

V.

Singuli animarum Curatores librum congruũ habeant, & custodiant, in quo diligentissime scribantur contrahentium nomina, & testium, qui cum ipso sacerdote affuerint, dies, & locus, quibus omnia agantur: & in summa serio, ac sedulo caueant, ne latum quidem vnguem à præscriptis regulis sacri Concilij de matrimonio tractantibus discedant, si digna nostra animaduersione coerceri noluerint.

VI.

Sicuti Pastores decet esse sollicitos de pertinentibus ad celebritatem matrimonij, sic etiam æqum est eosdem non esse desides in repurgãdis suis gregibus à perniciosa labe concubinariatus, in singularẽ ipsius sacramenti matrimonii contemptum. Præcipimus ergo quibuscunq; curam animarum gerentibus, vt diligenter inuigilent, si qui forte in plebibus ipsis commissis, tam soluti, quàm vxorati retineant, vel alant concubinas,

&

& quos repererint fore concubinarios, eos statim paternè moneant, quòd concubinas eijciat, & in honorabili suarum coniugum connubio viuant, vel qui adhuc non nupserint, si nolunt continere, nubant. Quòd si talibus monitis non paruerint, teneantur ipsi Parochi sub pœna tertiæ partis redditutum vnius anni suæ ecclesiæ applicandæ ad pios vsus nostro arbitrio, statim totum id ad nos, vel nostrum vicarium deferre, vt ex p̄scripto sacri Concilij iuris ordine excommunicationis gladio eos feriendos esse declaremus: et crescente contumacia seuerius puniamus, relegando, prout videbitur opportunum, ad tempus, vel ad semper concubinas ipsas siue coniugatas, siue solutas extra Asculanam diœcesim pro sancti matrimonij reuerentia.

DE CVLTV DIVINO CANONICO-*rum horarum in Choro obseruando, deq; Canonicorum, aliorumq; Clericorum disciplina.*

XPLICATIS summatim aliquibus de vi, & virtute sacramentorum, ac de functionibus ministrorum tàm in tremendo missæ sacrificio, quàm in ipsis sacramentis, consequenter restant nonnulla de cæteris diuini cultus partibus breuibus enarranda, cùm in ecclesia omnia honestè, & secundum ordinem Apostolus fieri iubeat, Nocturnum, diurnumq;

igitur officium psalmodiæ quod pro diuinis laudibus celebrandis imploradā Dei misericordia, excitandaq; fidelium deuotione plurimum conducit, constituendum est ad rectam horarum canonicarum celebrationem, incipientes à cathedrali ecclesia, quę cum sit sedes Episcopi, principemq; locum teneat in clero, nequaquam postremum in reformatione tenere debet. Ac ideo R. D. Archidiaconus, & Canonici in diuinis eidem inseruientes, ac nomini eorum respondentes, sint re ipsa, prout sunt nomine Canonici, quorum est munus, eorum, quæ ad eiusdem cathedralis administrationem, & cultum pertinēt, diligenter curare; Episcopo consiliarios assidere diuinas laudes non vocis tantum modulatione, sed cordis deuotione certis horis in ecclesia celebrare, non cursim, & festinanter, sed integrè, distinctè, reuerenter, deuoteq; hymnis, & canticis Dei nomen laudare, taliterq; in diuinis peragendis officijs se corpore pariter, & mente componere, quò Deo simul cultum gratū exhibere, & populo consideranti deuotionem augere valeant.

II.

CUM Diuina aguntur, inter se de alijs rebus non tractent, aut queuis colloquia, neque ritus intermisceant, imo nec in choro alijs psallentibus seorsum legere aliquid, aut suas horas canonicas priuatim orare, vel aliis leuitatibus intendere permittantur, sed in propriis sedibus, quas

nulla ex causa, nisi pro seruitio chori trāsmutēt, omnes insimul psallentes, oculos & aures ad vanitates non conuertant. In fine Hymni, aut Psalmi, cum sanctæ Trinitatis elogium dicitur. .ſ. Gloria Patri &c. religiosè capite aperto omnes assurgant. Quod itē adhuc religiosius obseruandum erit, cum Iesu sanctissimum nomen enunciatur.

III.

EPISCOPO Quæuis pastoralis officij munera exercenti, prout a sacra Tridentina Synodo cautum est, assistant, operamq; suam præstare non cessent, ac eorum singuli tàm R. D. Archidiaconis quàm Canonici auctoritate eiusdem sacri Concilij serio moniti, censeantur etiam virtute præsentis Synodalis cōstitutionis, quòd imposterum non solum cōtinuè resideant, sed quouis quæsito colore non cessent per se ipsos, & nō per substitutos quæuis ministeria suarū functionum, Missarum, Chori, aliorumq; ecclesiasticorū obsequiorū subire, & cum effectu exequi: quòd siquis facere neglexerit (præterquam quòd ea distributionis parte carebit, quam percepturus esset) aliis etiam grauioribus pœnis arbitratu nostro pro modo culpæ, & cōtumaciæ afficietur.

IIII.

SINGVLIS Horis, quibus pro diuinis officijs Ecclesiam ingrediūtur, omnes seculares curas, & cogitationes deponant, anteq; sacræ Eucharistiæ altare in genua procumbentes, Dominum

piè, & religiosè adorent, tàm in ingressu, quàm in exitu templi, moderatoq; progressu in Chorum accedant, vel ex eo discedant, induentesuè, aut exuentes cum silentio superpelliceum non sint extra sacristiam: in qua, ac etiam loco choro coniuncto, vbi cõstruitur ignis, nihil omnino pro fani agatur, neque de rebus inanibus sermones habeantur, ex quibus interdum altercationes, ac conuicia oriuntur, sæpissime vero risus solutiones, & verba scurrilia existunt.

V.

QVicunq; eorum prædicta inuiolatè seruare non studuerint, vltra diuinam vltionem, episcopalem quoq; non effugient animaduersionem, ac afficientur pœnis de iure infligendis tam circa superius narrata, quàm in cæteris his Constitutionibus scripto non expressis, sed in virtute cõtentis: quemadmodum sunt antiquę ipsius Capituli, & Canonicorum Constitutiones, quas nos suo robore non carere decernimus in omnibus, & singulis earum partibus, quæ clarè non contrarientur decretis sacri Concilij Tridẽtini: ad quorum obseruantiam, ac etiam præceptorum Reuerẽdissimi Domini Leonardi Marini Archiepiscopi Lancianensis Apostolici Visitatoris (etiam quod R.D. Archidiaconus, Canonici, & Capitulum de iure sint iam obligati) nos quoq; eos denuo, & serio obligamus, ipsasq; antiquas Constitutiones conuenientes cum Concilij decretis, & ipsius Reueren. D. Lancianensis, Apostolica statuta, &

præcepta hac Synodali Constitutione in viridi esse debere obseruantia declaramus.

VI.

QVæ vero superius de cathredalis ecclesiæ Canonicis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunq; beneficiatis, alijsuè sacerdotibus, & Clericis in eadem cathedrali stallum, aut officium in choro, vel cappellaniam, munusq; quodcunque in ipsa ecclesia obtinentibus, vel exercentibus locum habeant, verum etiam in quibusuis alijs Canonicis, Sacerdotibus, Ministris, Collegiis, ac personis ecclesiasticis, etiam in minoribus ordinibus constitutis tam in ipsa Ciuitate, quam in cæteris locis, & oppidis nostrę diœcesis inseruire debentibus, tam in Choro pro recitandis horis Canonicis, quam in cæteris diuini cultus partibus alijs quibusuis ecclesijs non collegiatis, aut collegiatis, quos præsenti Synodali Constitutione omnino obstrictos esse declaramus, & obligamus sub eisdem pœnis ad studiosissimè imitanda, quæ in Cathedrali pro diuini cultus augmento obseruanda sunt.

VII.

CAEteris omnibus, qui non obligentur vt supra in recitandis horis insimul in alicuius ecclesiæ Choro, & nihilominus ordinis, vel beneficij, aut alia ratione ipsas horas canonicas priuatim recitare debent, seriò meminisse præcipimus vt eas nullo modo omittant, alioquin pœnas in Lateranensi Concilio propositas, & alias arbitratu

tratu noſtro ſubibunt. Et non minus ſeuerè animaduertemus in quamplures proprie ſalutis immemores, quamquam eorum aliqui forſan merè layci, qui odore lucri attracti beneficijs eccleſiaſticis importunè ſe ingerunt, & cenſus eccleſiæ in otio, & luxu abſumentes cunctis debitis obſequijs prædicta beneficia defraudare non erubeſcunt.

DE FVNERIBVS, *& exequijs.*



QVAE ſalubri catholicæ eccleſiæ inſtituto de funerum, & exequiarum curatione piè ſancita ſunt, cupimus non deprauari, aut fœdari in ciuitate, & diœceſi noſtra qua uis auaritiæ, vel ambitionis labe: & ideo Clericis quibuſcunq; cuiuſuis ordinis, & dignitatis ſint, etiam Canonicis, cæteriſq; omnibus ea ſeruanda proponimus, quæ inferius deſcribentur, vt doceamus chriſtianorum, qui ſpem reſurrectionis habent, corpora non pecudum more diſijci, ſed in eccleſię, vel cœmeterij ſinum recondi, quod pietatis myſterio non caret, neminemq; Chriſtianorum, qui in eccleſiæ communione deceſſerint hac ſepultura arceri debere, niſi fuerint hæretici, excommunicati, publicij latrones, quique ſibi mortem conſciuerint, & quos in peccato lęthli (nullis pœnitentiæ ſignis præcedentibus) deceſſiſſe conſtiterit.

II.

IN sepulturis, & exequiis à Parochis, alijsq; sacerdotibus diligens fiat admonitio mortalitatis, atq; huius calamitosæ vitæ excitentur q; inter alia, vt recogitent sibi hinc eodem modo excedendum esse, cũ in hac terra sint peregrini, aliáq; inquirant, ad quam semper oporteat aspirare. Deinde commoneantur ad exorandum pro defunctorum animabus in purgatorio detentis, Dei misericordia docentes, prædictas animas suffragijs viuorum fidelium, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuuari. Instituant ideo funerum, & exequiarũ solemnia pietatis studio, & nõ vanæ glorię tm̃ aucupandæ gratia: nam qui vt magis apparerent hominibus, quâm vt Deo animas commẽdarent, pomparum funebrium essẽt cupidi, perderent mercedem suam.

III.

CVm mortuus efferendus erit, cuiusuis ecclesiæ Clerus, qui vocabitur in vnam proximam mortui ędibus ecclesiam conueniat: inde omnes etiam regulares, si aderint, ordine suo sine strepitu prodeuntes, psalmos, aliasuè sacras preces deuotissimè recitantes, neq; colloquia, aut risus in termiscentes, sed moderato progressu, mente in Deum tendentes, mortuum ad sepulturam comitentur, in ecclesiaq; corpus ordine debito circumstantes, officia celebrent pro funeribus instituta, inde nõ discedentes donec cadauer in sepulcrum fuerit illatum.

IIII.

IIII.

CAndelæ omnes, & cerei, quæ circa Crucem, cadauer, feretrum, in altaribus, ac reliquis in locis, dum officia in funere, & exequijs celebrantur, accenduntur, ita Deo oblata esse intelligantur, vt eius ecclesiæ sacristię regularium, vel secularium, in qua corpus mortui humandū erit, continuò addicta sint, non vt vendantur, sed vt eis pro diuino cultu vti liceat, exceptis tamen his, quæ Clericis cuiuscunq; generis eleemosynæ causa dari solent sigillatim vnicuiq;, & quæ quartę funeralium nomine cathedrali, & parochialibus ecclesijs ex decreto Tridentini Concilij, iuxta declarationem tamen motus proprij Sā ctiss. D. N. Pij V. confirmationis priuilegiorum Mendicantium, Regularium, tribui conuenit.

V.

EXequiarum sepulturę, & anniuersariorū causa clericorum nemini liceat quicquā pacisci, aut exigere, neque etiam petere, quod simoniacę labis, aut sordidę auaritię suspicionē habeat: pias tamen cōsuetudines in his seruari, piaq; etiā legata diligētissime exigi iubemus, ac quęcunq; eleemosynæ causa vltrò data, nec aliquibus artibus extorta a clericis quibuscunque accipi non prohibemus. Imò hortamur in Domino locupletiores laycos quoscunque, vt erga clerum, ac etiā Regulares se liberaliter gerant, non minus in funeralibus, quàm cæteris alijs pietatem redolentibus. Sed versa vice cadauera miserabilium personarū,

ſonarum, quibus mortuis,aut nihil ſupereſt, aut ita parum,vt ſua impenſa humari non poſsint,Parochis incumbat ſumptibus eccleſiæ curare, vt Chriſtianorum more ſepeliantur:& ſi ſecus fecerint noſtri arbitratus pœna plectendos eſſe nouerint.

VI.

INterdicimus omnibus & ſingulis laycis, tám perſonis particularibus,quã publicis Magiſtratibus ciuitatis, & diœceſis noſtræ ſub pœnis a iurẽ ſtatutis,ne ſub quouis quæſito colore præſumãt cõtra libertatẽ, immunitatẽ, aliaq; priuilegia eccleſiaſtica condere ſtatuta, vel cõdita approbare de funeralibus in præiudiciũ clericorum,aut Regularium eorumq; eccleſiarum: verum ſi vſque modo aliqua huiuſmodi ſtatuerint, etiã ſub prætextu æquitatis,& honeſtatis, teneantur ſub pœna excommunicationis in termino vnius mẽſis incurrendæ a die intimationis pręſentis Synodalis Conſtitutionis abſolutè abrogare, & abolere leges,aut conſuetudines quaſcunque,quæ pręter iuris ordinẽ ortum habuerint, Et ſi quid in funerum, & exequiarũ curatione ipſis videbitur aliqua dignum reformatione,aut animaduerſione, ad nos deferant,qui ea,quę diuinæ glorię,animarum ſaluti,& publicæ cõmoditati erunt conſentanea, prouidere non ceſſabimus.

DE BENEFICIORVM *Collatione, & Institutione.*



CONSIDERATIS Pastorum, Parochorum, Canonicorum, cæterorumq; ecclesiæ Ministrorũ grauissimis, ac dignissimis functionibus, merito prouidendum est in collatione, institutione, vel confirmatione beneficiorum ecclesiasticorum, maximè Curatorum, & Canonicatuum, ne de cętero magni eis præficiantur, neque ad aliorum assumantur regimen, qui se ipsos regere nõ possint. Nos igitur studebimus, vt in prouisionibus ad nostram collationem, vel institutionem spectantibus prouideatur gregi Christi, & Ecclesię magis, quàm personis, quibus cõferentur beneficia, inuiolatè obseruando Constitutiones sanctiss. D.N. Pij V. super collatione Parochialium, ac Decreta sacri Concilii Tridentini, præsertim capitum xviii. & xxiii. sessionis xxiiij. sperantes quoque ꝙ idem fiet in mensibus sanctæ apostolicæ Sedi reseruatis ob singularem eiusdem sanctiss. D.N. pietatem, qui nõ patietur beneficia, & dignitates conferri, nisi clericis probis, ac doctis, qui per se ipsos muneribus, ad quæ tenentur, fungi valeant. Quicunque ergo nostrorum diœcesanorũ sibi beneficia, & Canonicatus in posterũ conferri posse existimauerint, conentur studijs, ac piis exercitiis esse tales mo-

ribus,& doctrina,vt examini,cui subiiciẽdi erunt iuxta prædicti Concilij formam (Deo auxiliante) satisfacere possint.



DE RESIDENTIA.



VALES Procurabimus fore prę ficiendos in posterũ ecclesiasticis beneficiis, tales multo magis esse cupimus eos, qui modo ecclesias prę sertim curatas, & canonicatus obtinent, vt onus grauissimum illis impositum meminisse satagant, laudabiliter fungẽdi suis muneribus, quæ ritè exequi non valerent personaliter non residentes,ac etiã non habitantes in propriis ædibus parochialibus, & canonicalibus, vt omni tempore fidelibus præsto esse possint, qui eorum opera,& ministerio vti voluerint. Præcipimus ergo Decreta sacri Concilij de residentia quorumcunque animarum curam exercentium, & etiam canonicorum,& cæterorum,qui de iure residere tenentur, tractantia inuiolatè ab omnibus intra limites nostræ diœcesis beneficia, ad quorumlibet collationem spectantia,obtinentibus, seruari debere sub pœnis in nostris literis edictalibus, super eadem materia promulgatis; & in publicis locis affixis. Sub datum Asculi die prima Nouembris M. D. L X V I I. Quarum literarum vim, hac etiam Synodali constitutione confirmamus,& innouamus.

DE

DE VITA ET HONESTATE *Clericorum, etiam Canonicorum.*



QVONIAM Plus sępius destruitur improbitatis exemplo, quàm ædificetur verbo & doctrina, & cũ nulla ferè christianę disciplinę in Dei Ecclesia restituendæ spes esse possit, vbi clerici, quos diuino cultui totos esse deditos conuenit, pietatis exercitationem parum diligenter curent. Decreuimus, iuuante Domino, ea primum præscribendo, quę clericorum mores, & vitam ad rectam rationis regulam instituant, hominibus quoque laycis prodesse, qui Christianæ vitæ pręcepta, & probitatis exempla a clericis petere debent. Vehementissimè igitur obsecrãtes in Domino quascunque ciuitatis & diœcesis nostrę ecclesiasticas ꝑsonas cuiusuis ordinis, & dignitatis, sint memores se positos tanquam lucem mundi, vt luceant omnibus, qui in domo Dei versantur, sobriè, piè, & iustè viuant, pietatem in Deum, charitatem in proximos, continentiam, & humilitatem in se ipsos, diuino suggerente spiritu, exercentes, ac enixè studentes ea quę a summis Pontificibus, & a sacris Cõcilijs de honesta clericorum vita, doctrina, cultuq; copiosè tradita sunt, vt ab ipsis non negligãtur, prout nos ex auctoritate sacri Cõcilii Tridentini, quòd ea Episcopis exequenda præcepit, in vsum reuocanda proponimus, summatim explicanda præcipue quędam capita.

II.

CVM externi habitus, & vestitus congruitate possit de interno animi nitore,& moderatione aliquid præsumi; præcipimus omnibus & singulis tàm minoribus, quàm sacris ordinibus initiatis cuiuscunque gradus, & dignitatis sint, vt intra decem dies a celebratione huius diœcesanæ Synodi enumerandos,clericalem tonsuram, quę est spiritualis militiæ insigne,vniuscuiusq; ordini & gradui conuenientem continuè gerant. Presbyteri verò à superiori labro pilos ita tondeant, nè sacrosanctum sacramentum sumentibus impedimentum afferant. Biretum etiam, & vestem superiorem talarem, quæ ad collum clausa sit,inferiorem verò quæ vel saltem ad medium crus descendat, semper deferant, quæ nigri sint coloris. Pileum decentem si quãdo per pluuias, aut aeris intemperiem sumere oporteat, intra ecclesiam presertim,dum diuinis officiis intersunt, omnino non gerant, isq; à militaris pilei forma longe distet. Caligas neq; turgidas habeant,neq; incisas: calceis quoq; non vtantur incisis. Camisias quoq; non gerant ad collum,vel manus corrigatas, vel acu elaboratas. Deniq; munditiem corporis, & habitus, quæ puritatem etiam animę videtur prę se ferre,non negligant,modo nedum sordes vitare studeant, in nimium cultum non minori culpa incurrant. Clericis, qui iter faciunt, quamuis contractiore habitu, ac vestitu decenti, tamen & ex quo eos clericos esse facilę

cognosci possit, vti licebit: ac etiam pro huius regionis ratione, idem permitti poterit Clericis et beneficiatis, qui extra vrbem, & castra nostræ diœcesis in villis, & pagis asperrimorum montium ecclesijs deseruire tenētur, dūmodo quòd eorum superior vestis saltem sub genu ad mediū crus descendat. Sacerdotes etiam, Canonici, & in dignitate constituti, qui pallio, quod ferraiolū dicitur, pro pluuiæ, & frigoris necessitate vti voluerint, meminerint ea debere esse forma, vt clericali decoro conueniat, neq; illud, nisi cum inferiori talari tunica induant.

III.

QVoniam qui habitāt in tabernaculis Domini nō solum omnem impudicitiæ causam, sed etiam occasionem, & suspicionem à se remouere debent, ideo nos authoritate sacri Concilij Tridentini iubemus, ne in ędibus ad domiciliū, & vsum Canonicorum, Parochorum, aliorumq; ecclesiæ ministrorum ędificatis fœminæ, etiam illis quouis sanguinis vinculo coniunctæ, in alijs vero domibus canonicali, parochiali, aut clericali vsui non attributis, nisi ex causa rationabili, tamen iudicio nostro probata, sed à contubernio, familiaritate, vel consuetudine publica, vel secreta quarumuis aliarum mulierum quomodolibet suspectarum absolutè vbicunq; habitent, prohibeantur.

IIII.

IIII.

CLerici, quos propter Christum spectaculum euangelicum oportet fieri mundo, Angelis, & hominibus maximè debent ab his spectaculis, quę Christum non sapiunt, abstinere, ideo edicimus, ne comœdias, fabulas, choreas, hastiludia, aut profanũ aliquod spectaculi genus agant, vel spectent: ne tesseris, pagellis pictis, & omnino alea, aut vllo vetito, vel indecoro ludi genere ludant, neuè omnino huiusmodi ludi spectatores sint: neue personati vsquam incedat: nec vllũ genus venationis aduersus sacros Canones obeant: ne commessationibus, compotationibus, aut minus honestis conuiuijs intersint: cauponas, aut tabernas non ingrediatur nisi itineris causa: mercaturam non exerceant: neue in rebus contrahẽdis, vendendis, & emendis se medios, vel interpretes adhibeant: prædia aliena non conducãt: pro nemine spondeant: magnatum, nobilium, aut omnino laicorum negocia ne procurent, aut eis inseruiant, nisi causa id postulet à sacerdotali officio non aliena: qua in re tamen concessio nostra intercedat, eaq; quotannis renouetur, quã hac in re, & aliis à nobis permittendis gratis semper fieri volumus. In famulatu vero ecclesiasticarum personarum vilia officia, aut opera, quę clericali decoro non conueniant, minime faciant. Interdicimus quoq; quibuscunq; in sacris ordinibus constitutis procuratione, aduocatione, patrocinio, & omni actione causarũ vti apud iudi-

cem ſecularē, exceptis cauſis iure permiſſis, nec niſi pietatis cauſa eoſdem tutelam curamuè ſuſcipere: quibus caſibus ſcriptæ licentiæ à nobis gratis impetrentur.

V.

QVicumq; ſacris ordinibus initiati cuiuſuis conditionis, & dignitatis ſint, etiam Canonici vllius generis arma ad offenſionem, vel etiã ad defenſionem non ferant, niſi fortè extra Ciuitatem ſuſpectis in locis iter eis faciendum ſit, nõſtra cum permiſſione in ſcriptis, & gratis obtenta. Et cum Clericorum arma ſint orationes, & lacrimæ, & eorum certamina eſſe debeant aduerſus ſpirituales hoſtes; ideò ſub pœna exilii extra diœceſim Aſculanam, & longe ab ea centum miliaria, & aliis grauioribus cenſuris, & pœnis etiã pecuniariis Reuereñ. Cameræ Apoſtolicę applicandis, & arbitratu noſtro infligendis interdicimus omnibus, & ſingulis prædictorum tam Ciuitatis, quàm diœceſis noſtræ, nè ſub quouis quæſito prætextu etiam ſimilatæ ęquitatis, & honeſtatis audeant de cætero publicè, vel ſecretè ſe immiſcere, aut intromittere in quibuſuis ſimultatibus, ſeditionibus, rixis, & inimicitijs, etiam ſpectãtibus ad eorum proprias familias, vel ſibi quocunq; ſtricto gradu conſanguinitatis, & affinitatis coniunctos, quos in ſimilibus diuinam legem lędentibus auxilio, fauore, & conſilio eccleſiaſticarum perſonarum deſtitutos eſſe conuenit. Eiſdem, & eorum cuilibet inſuper prohibendo ſub

ſimilibus

ſimilibus pœnis en inpoſterum quacunq; de cau ſa poſſint in ſuis familijs, & domicilijs retinere, aut alibi alere aliquos ſuos familiares, & ſeruos, qui ſaltem ſemel in anno tempore á iure ſtatuto non fuerint confeſſi, & non communicauerint, neq; aliquos pro homicidis, ſicarijs, & facinoroſis aliás publicè reputatos, vel notorie cognitos, etiam quod de præſenti illis in ſeculari foro permitteretur iuſtis de cauſis in Aſculana Ciuitate, & diœceſi tutô commorari.

VI.

QVæcunq; eccleſiaſticę perſonæ cibum ſumpturæ menſam benedicant, & à cibo gratias Deo agant pro acceptis beneficijs: quod gratę memoriæ et pietatis officium ſi ab eis prætermitteretur, meritò noſtram in eos animaduerſionē eſſent experturi, cum in cunctis Clericos à laycis dignoſci deceat. Et ideo ſerio etiā monemus in minoribus ordinibus cōſtitutos Clericos, quòd ſi aſſiduè tonſuram non gerent, ac vt Clerici induti non reperientur, eccleſiaſticis priuilegijs priuabuntur, & à quocunq; clericali exercitio arcebūtur, vltra alias noſtri arbitratus pœnas, quas incurrent.

DE REGVLARIBVS.



VM hoc tempore, et præſertim in ciuitate, & diœceſi noſtra paſsim Eccleſię idoneorum miniſtrorum penuria nimis periculosè laborent, nō poſ

sumus non esse valde solliciti, vt Regulares cuiuscunq; ordinis sint, sui instituti memores nobis, & nostris Parochis se in vinea Domini excolenda fideles cooperarios adiungant, & non solum verbo, & doctrina in cōcionibus, & exhortationibus, in confessionibus audiendis, & in diuinorum officiorum celebrationibus, sed etiam exemplo bonorum operum, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate. Quapropter in Domino obsecramus eorum Prelatos, vt ad edificationem populorum nostræ curæ commissorum præcipiāt Regularibus sibi subiectis in ciuitate & diœcesi nostra degentibus, vt iuxta sacri Concilij Tridentini Decreta, & Bullam sanctiss. D. N. Pij Papæ V. confirmationis suorū priuilegiorū, ad regularis disciplinæ, & suarum institutionū obseruantiā sollicitius inuigilent, & erga clerū, & quascunq; personas seculares ea, qua decet, pietate, & modestia se gerant: alioquin cogeremur (si in contemptum nostri pastoralis regiminis aliqui eorum (quod Deus auertat) extra suæ professionis limites in aliquod Christifideliū scandalum transgrederētur) de talibus iuris ordine seruato reuerenter, ac serio agere corā sanctiss. D. N. Papa, quod speramus non futurum: vt in eadem perseuerare valeamus beneuolentia, qua semper sumus prosequuti, & de cætero sincerè prosequemur Regularium ordines.

DE

DE MONIALIBVS.



IRGINVM Monialium veluti imbecillioris sexus continentiam, ac religionem, & munire præsidijs, & adiuuare opportunis auxilijs volentes, præcipimus inuiolatè ab eis obseruari in Monasteriis nobis quomodolibet subiectis ciuitatis & diœcesis nostræ omnia & singula, quæ de reformatione Monialium, & earum clausura sancita fuere in sacro Concilio Tridentino, & per Bullã sanctiss. D. N. Pij V. sub datum quarto Kl. Iunij, M. D. LXVI. Pontificatus sui anno primo.

II.

OMnes igitur Moniales ad regulæ, quam sunt professæ, proscriptum, vitam instituant, ac obedientiæ, paupertatis, castitatis vota, necnon omnia pertinentia ad communem victum, & vestitum conseruanda fideliter obseruent. Ante omnia clausura aut restituatur, vel inuiolatè obseruetur tam in Monasteriis nostræ curæ commissis, quàm in aliis regularium ordinibus subiectis authoritate prædictæ Bullæ Sanctiss. D. N. Et ob id serio inhibemus, non solum vt quacũq; de causa moniales extra monasterium prodire vllo modo non præsumant, verum sub censuris, & pœnis in eisdem decretis, & Bulla contentis, omnibus & singulis personis cuiuscunq; status, & dignitatis sint, siue ecclesiasticis, & regularibus, siue

laicis absolutè interdicimus, vt nullo quæsito colore sine nostro consensu in scriptis, quoad monasteria nobis subiecta, & ad alia sine consensu eorum superiorum, audeant introire monasteriorũ septa, aut ad eorum portas, & crates accedere, vt alloquantur moniales, exceptis tamen honestis, & bonæ famæ mulieribus, quibus horis congruis de die liceat sine alia nostra licentia accedere ad crates tãtum, vt corã Abbatissa cum monialibus loquantur, dummodo absolutè abstineant ingredi septa, quod omnibus vtriusq; sexus sub censuris pdictis absolutè prohibetur. Mandantes ideo eorundem Monasteriorum Abbatissis sub pœna priuationis suorum officiorum, quòd contenta in ipsis decretis, & Bulla fidelissime obseruent, sicut nos diligentissime curabimus exequenda, ẽt virtute huius Synodalis Constitutionis, ac si cunctæ talium decretorum, & Apostolicæ Bullæ partes de monialium disciplina, professione, & diuino cultu tractantes, essent in ea de verbo ad verbum descripta.

DE HOSPITALITATIBVS.



NTER cætera pastoralis curæ munera præcipuè obligamur diligentissime cauere, vt quæ à sacra Synodo Tridentina in pluribus decretis fuerunt Episcopis iniuncta de bono hospitalium regimine, deq; in eis hospitalitate seruanda in Ciuitate, & diœce

si

si nostra seruentur. Quapropter omnibus, & singulis hospitalium quocunq; nomine nuncupentur, pfectis, administratoribus, camerarijs, alijsq; ministris edicimus, vt iuxta reddituum qualitates, pauperes, peregrini, ægroti, debilitate & ætate impediti, qui victum suis manibus comparare non valent, in illis taliter recipiantur, quòd meritò queri non possint se inhumaniter, & absq; misericordia tractari, dummodo non sint nebulones, aut circulatores, qui titulo mendicitatis aditum ad hæc pia loca malitiose sæpius inquirunt. Meminerint etiam iidem administratores atque ministri, se singulis annis rationem nobis esse redditnros introituum, & expensarum quorumcunque reddituum piorum locorum, quæ singula inter visitandum Ciuitatem, & diœcesim nostram sigillatim lustrabimus, & in eis cuncta ad sacrorum Canonum normam pro Dei gloria, & suorũ pauperum præsidio constituemus. Animaduertendo in eos administratores, qui eorũdem piorum locorum fabricas reparatione indigentes non reparari procurarint, & de rebus opportunis ad vsum pauperum non prouiderint.

DE CONFRATERNITATIBVS.


EADEM, quæ dicta sunt de hospitalibus habeantur præcepta pro fideli administratione, & reformatione quarũcumq; sodalitatum, vel confraternitatum tam

 laycorum,

laicorum, quám Clericorum in Ciuitate, & diœcesii nostra institutarum, quas repurgandas à plurimis monopoliorum, commessationum, dissolutionum, & vsurpationum abusibus sedulo cogitauimus: ac ideo sub pœna excommunicationis mandamus omnibus, & singulis earum Prioribus, sindicis, camerariis, & ministris quocũq; nomine nuncupentur, vt intra duorum mensiũ à publicatione præsentium Constitutionum debeant nobis, aut nostro generali vicario offerre capitula, vel statuta, si qua habeant, ac nos instruere de modo, & forma, quam in eis seruant, nobisq; reddere rationem de qualitate reddituum, & in quos conuertant vsus: vt sic iustitia mediante secundum sacri Cõcilij Tridentini sanctiones, quod super his opportunum fuerit statuatur, & nostra Episcopali approbatione, & confirmatione roborentur, omniaq; ad sobrietatem, modestiam, & animarum salutem reuocentur. Alioquin, qui inobedientes fuerint, inter visitandũ, ad eorum confraternitatum annullationem procedemus. Idem quoq; præcipiendo, quorũcunq; aliorum piorum locorum, etiam pietatis montium, & fabricarum quarumcunq; ecclesiarum, etiam ipsius cathedralis gubernatoribus, operariis, camerarijs, sindicis, ac ministris tam laicis, q̃ clericis, vt in prædicto termino, & successiuè semel singulis annis nobis, aut nostro generali vicario rationem reddant vt supra.

II.

I I.

VT solicitius caueamus, ne nostrorum diœcesanorum tam laicorum quàm Clericorũ animæ à diaboli laqueis carpantur in fraudibus, & vsurpationibus bonorum cuiusuis generis iurium, fructuum, & emolumentorum, quę ecclesiis, & piis locis debentur; inferendum censuimus his Synodalibus Constitutionibus decretũ vndecimum de verbo ad verbum sessionis xxij. eiusdem sacri Concilii,vt sub pœna excommunicationis quicunq; animarum Curatores sæpe sępius illud frequenti populo explicare teneantur, adeo quod homines ab hoc sacrilegio admitten do seueritate deterreantur, & qui nunc sibi tam nefarii sceleris consci sunt salutaris pœnitentiæ remedia quęrant. Declarantes in prædictis com prehendi quoscunq; etiam laicos, qui prætextu sui iurispatronatus beneficia ecclesiastica, & eo rum fructus vsurpant fraudulenter, tribuentes Clericis solum titulos, & vix tantum, quòd misserrimè ali possint: & quicunq; eadem beneficia in confidentiam retinent, aut dant, aut impuden ter impedimento sunt, nè eis iuxta formam iuris prouideatur de canonico rectore. Prædicti ver o Concilii decreti tenor is sequens e st.

SIquem clericorum, aut laicorum quacunque is dignitate etiam imperiali, aut regali præfulgeat, tantùm malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicui' Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis,

cularis,aut regularis beneficij, mõtium pietatis, aliorumq; piorum locorum iurisdictiones,bona, census,ac iura etiam feudalia,& emphitheotica, fructus, emolumenta, seu quascunq; obuentiones quæ in ministrorũ, ac pauperum necessitates conuerti debent,per se,vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum,aut laycorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios vsus conuertere,illosq; vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis,ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat,quamdiu iurisdictiones, bona,res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit,vel qui ad eum quomodocunque etiam ex donatione suppositæ personæ,peruenerint, Ecclesiæ eiusq; administratori,siue beneficiato, integrè restituerit, ac deinde á Romano Pontifice absolutionem obtinuerit,quòd si eiusdem ecclesię patronus fuerit,etiam iuris patronatus vltra positas pœnas eo ipso priuatus existat. Clericus verò qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator,seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat, necnon quibuscunque beneficiis priuatus sit,& ad quęcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a suorũ ordinũ executione,etiam post integram satisfactionem,& absolutionem arbitrio sui Ordinarij suspendatur.

DE

DE CONCLVSIONE
Harum Constitutionum.



VMMATIM Descriptis professionis fidei forma, sacris ministeriis, functionibus, officijs, & moribus, quorum ecclesię interest, traditam quoque esse censuimus non minus totius laycorum populi disciplinam, quam cleri in his, quæ Dei gloriam, & animarum salutem respiciunt, quamquam his Synodalibus constitutionibus quamplurima non videantur specialiter expressa de ipsorum laycorum moribus ad forum ecclesiasticum de iure spectantia, quæ tamen virtualiter in eis comprehenduntur, hac conclusione, quod nos omnibus & singulis tàm laycis, quàm clericis etiã pro tempore in ciuitate, & diœcesi nostra commorantibus serio edicimus canones omnes, maximè decreta sacri Concilij Tridentini, Apostolicasq; sanctifs. D. N. Pij Quinti constitutiones, præsertim Bullæ prohibitionis blasphemiæ, simoniæ, cõcubinatus, libidinis, naturę contrarię, contra eos, qui debitum Deo cultum non tribuunt, & de nõ laborando in diebus festiuis, sub datũ Romæ sub annulo Piscatoris sexto Kl. Aprilis. M. D. LXVI. Pont. sui anno primo, Necnon præcipuè contra suspectos de hæresi, si qui aderunt (quod Deus auertat(aut magicas artes, veneficia, diuinationes sortilegia, ac quæcunque crimina diuinam iram prouo-

prouocantia committentes, vsurasq; exercentes a nobis, nostrisq; generali, & foraneis Vicarijs inuiolatè seruaturũ iri, tam in inquirendo & procedendo, quam in iudicando, & exequẽdo super cunctis nostram catholicam religionem, disciplinamq; ad forum ecclesiasticum pertinentem, concernentibus, in quibus Christianis omnibus, tâm vtriusque sexus laicis, quàm clericis indistinctè, diuinis, & Canonicis legibus iniunctũ est, vt declinent a malo, & faciant bonũ: & si secus a quoquam factum fuerit, is tum pœnas supra contentas, tùm alias sustinebit de iure irrogãdas nostro, Vicariiq; generalis nostri iudicio & arbitratu.

HAE sunt constitutiones sanctæ Ecclesiæ Asculanę quas ĩ hac sacra Synodo promulgamus, decernimusq; ab oĩbus, tã clericis, quã laicis quaquemq; parte attingũt respectiue, studiosè vt sup. obseruari; prout nos, tàm ordinaria auctoritate, quã facultate delegationis apostolicæ nobis quomodolibet cõcessa, presertim per Breue sanctiss. D.N. sub datum xviij. Ianuarij proximè præteriti pro diuini cultus augmento, fieri diligentissimè curabimus. Et ne earũ aliquem obliuio capiat, volumus quotannis per nostrum generalem Vicarium districtè iuberi, quòd in Capitulo nostrorum Canonicorum capitulariter congregatorũ, vnà cum omnibus Rectoribus curatorum beneficiorum intra mœnia ciuitatis ter .s. in principio Aduentus, in Quadragesima, & in octaua Beati Emigdij martyris episcopi, Ausculanæq; vrbis

protecto-

protectoris omnino coram se legantur, & quòd idem fiat per Vicarios foraneos, & alios sacerdotes in eorum congregationibus singulorum oppidorum, aliorumuè, locorum toties quoties eidem Vicario generali opportunum videbitur. Et nihilominus quorumcunq; in sacris constitutorum prefertim beneficia obtinentib. singuli debeant sigillatim domi suæ easdem Constitutiones vna cũ Catechismo quàm sæpissime legere, vt sibi ipsis prosint, & cæteros suæ curę cõmisso facilius de necessarijs ad salutem instruere valeant: qui verò hęc paterna monita neglexerint, puniẽtur. Tandẽ vt cætera absoluamus, subijcimus ea qua decet humilitate tum pręsentes Synodales Constitutiones, tum nos met ipsum, pręfati sanctiss. D.N. Papæ, sanctæq; Apostolicæ Sedis iudicio, & auctoritati, sub cuius obedientia, ac censura quascunque nostras actiones, ac sententias, tàm scripto, quàm verbo prolatas reuerẽter corrigere, ac emẽdare hic, & vbiq;, omni nostræ vitę tẽpore cupimus, & deliberam⁹. Et ita misericors Deus noster per gratiam suam de bono suo spiritu corda nostra imbuere, & conuertere in testimonia sua dignetur: vt omnes corde magno colamus eum, eiusq, voluntatem faciamus. Cui est laus, honor, & imperium in sęcula sæculorũ. Amẽ.

FINIS.

Errata const.

In prefatione legendu' est gregi et no' graci

Prebe et non pre

In forma iuramenti: Interp'tatione et non interpretationes

In 2° cap. de Bapt.° ad et non ab.

In 4° de poenitentia an' verbu' magis addendu' est malum

In cap. de Ablationes loco magne' legendum est indigni